Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Vidimus effectos pontifices quoque sacerdos
Sic dixit quidam de quodam pontificando
Cum princeps regem sollicitaret eum
Est puer et nondum possum discernere utrum
Femina vel mas et modo presul erit
Talibus et hodie populi cleri quoque prelatos
Atque domus domini cura regenda data
Talibus eterna regni suffulta columpnis
Decidet ante suam pervigilata diem

Aliud religiosi induunt se quod non sunt

Si queris quid agat festinus presul in urbe
Assumptis canibus in nemus ire parat
Aut et aves avibus vel piscibus hamum
Mittit et escarum hinc trahit inde lupum
Ardea visa fuit summa alia proxima ripe
Iacet et accipiter presul ab urbe ruit
Silvarum saltus plus quam loca sancta frequentat
Latratus canum canone plus habet
Plus cane percusso dolet anxius aut ave lesa
Quam si discedat clericus unus ab ea
Sepe dies tota causis cedit sine causa
Officiis sacris sufficit hora brevis
Talibus impensis brevis est quelibet hora longa
Horrea quoque que est domini tedia longa parat
Acrius insistit lepori canis ire quietus
Donec et officium compleat ipse suum
Quam sua persolvant cum tempus et hora requirit
Pontifices nostri pena debita deo